



Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Præfatio. Dilectissimo fratri, Mariniano Episcopo, Gregorius Episcopus
servus servorum Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)



S. GREGORII

PAPÆ,

IN EZECHIELEM PROPHETAM

HOMILIARVM LIBRI II.

PRÆFATIO.

*Dilectissimo fratri, Mariniano Episcopo, Gregorius Episcopus
seruus seruorum Dei.*



HOMILIAS, quæ in beatum Ezechielem prophetam, ut coram populo loquebar, exceptæ sunt, multis curis irruentibus in abolitione reliqueram. Sed post annos octo, petentibus fratribus, notariorum schedas requirere studui, easque favente Domino transcurrens, in quantum ab angustiis tribulationum licuit emendavi. Tua itaque dilectio has sibi ad legendum mitti poposcerat: sed valdè incongruum credidi, ut aquam despicabilem hauriret, quem constat de beatorum Patrum Ambrosij atque Augustini torrentibus profunda ac perspicua fluentia assidue biberere. Sed rursus dum cogito quòd sæpe inter quotidianas delicias etiam viliores tibi suaviter sapiunt, transmissi minima, legenti potiora; ut dum cibus grossior velut pro fastidio sumitur, ad subtiliores epulas avidius redeatur.

IN EZECHIELEM PROPHETAM

LIBER PRIMVS.

HOMILIA I.

DEI omnipotentis aspiratione de Ezechiele propheta locuturus, priùs debeo tempora & modos aperire prophetiæ; ut dum accessus ejus ostenditur, virtus melius cognoscatur. Prophetiæ tempora tria sunt, scilicet præteritum, præsens, & futurum. Sed sciendum est, quòd in duobus temporibus prophetia etymologiam perdit. Quia cum ideo prophetia dicta sit quòd futura prædicat, quando de præterito vel præsentem loquitur, rationem sui nominis amittit, quoniam non prodit quod venturum est, sed vel ea memorat quæ transacta sunt, vel ea quæ sunt. Quæ tamen tria prophetiæ tempora verius loquimur, si ex sacre scripturæ testimoniis ostendamus. Prophetia de futuro est: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Prophetia de præterito: *In principio creavit Deus calum & terram.* De illo enim tempore dixit homo, quo non erat homo. Prophetia de præsentem est, quando Paulus Apostolus dicit: *Si autem omnes prophetant, intret autem quis*
S. Greg. Tom. I.

Isai 7. c
Gen. 1. a

1. Cor. 14.

A infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: occulta enim cordis ejus manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum pronuncians quòd vere Deus in vobis sit. Cum igitur dicitur: *Occulta cordis ejus manifesta fiunt*, profectò monstratur quia per hunc modum prophetiæ spiritus non prædicat quod futurum est, sed ostendit quod est. Quo autem pacto prophetiæ dicatur spiritus qui nihil futurum indicat, sed præsens narrat? Qua in re animadvertendum est, quòd rectè prophetia dicitur, non quia prædicat ventura; sed quia prodit occulta. Rem quippe quamlibet sicut ab oculis nostris in futuro subtrahunt tempora, ita ab oculis nostris in præsentem subtrahit causa. Ventura etenim res occultatur in futuro tempore, præsens autem cogitatio absconditur in latenti corde. Est etiam prophetia præsens, cum res quælibet non per animum, sed per absentem locum tegitur, quæ tamen per spiritum denudatur. Et ibi fit præsens prophetantis animus, ubi per præsentiam non est corpus. Nam Giezi longè à Propheta recesserat, cum Naaman Syri munera percipiebat, cui tamen idem Propheta dicit: *Nonne cor meum in præsentem erat, 4. Reg. 5. d* quando reversus est homo de cursu suo in occursum tibi? Sciendum quoque est, quia prophetiæ tem-

CCc